

teria substratam Dominice resurrectionis, tum ad artificium, à Paulo monstratum, tum ad scripturae librum unversum, plurimas, easque fructuosissimas nobis affert meditationes. Nam si respicimus ad materiam substratam, non est vel naturale, quod per naturam nobis connatum, atq; juxta naturam nobis insitum sit *μνημόσυνον*: natura siquidem in his paschalibus mysteriis, eorum vel meditatione, vel recordatione, nihil quicquam tentare, vel etiam præstare valet: Animalis homo non percipit ea, que sunt spiritus DEI; stultitia sunt ipsi, nec talia percipere potest I. Cor. II. 14. nec est artificiale, quod vel industria nostra, vel indagatione curiosa, vel exercitatione continua comparetur; nulla siquidem in nobis est *ἰκανότης* ad mysteria vel percipienda, vel retinenda, sed omnis idoneitas nostra dicitur ex DEO II. Cor. III 8. sed potius est *supernaturale mnemosynon*, quod per DEI Patris gratiam concedendum v. i. quod in Christo, vel Christi merito solum obtinendum, v. i. ex donatione Sancti Spiritus intelligendum & exercendum v. 7. per DEI verbum, tanquam fidelem paschalem sermonem, tanquam mysticum medium, & tenendum & retinendum v. ii.

20. Quod autem hoc *Mnemosynon paschale* sit *supernaturale* probatur, (1) quia pendet ex divina revelatione, memor esto, quæ certe verba non de naturali, sed spirituali memoria loquuntur (2) quia concernit Jesum Christum, qui *μέγα* dicitur *ὁμολογημένως τῆς εὐσεβείας μυστήριον* I. Tim. III. 16. (3) quia concernit Christi resurrectionem, quæ citra dubium est objectum supernaturale, cum super omnem naturam, præter omnium hominum, ipsorum Apostolorum, expectationem, ipse propria virtute resurrexerit, sicut passim videre licet, & hinc etiam non naturaliter, sed supernaturaliter creditur, prout historia resurrectionis testatur (4) quia resurrectionem à mortuis respicit, quam natura nescit, humana ratio non percipit, cor hominis non credit, hinc tantum fidelium dicitur mysterium. *Fiducia Christianorum*, dicit Tertull lib. de resurrect. carnis, *resurrectio mortuorum* (5) quia DEI Filius, qui resurrexit, dicitur *ex semine Davida*, quod etiam, tanquam *supernaturale*